80 9

IN NATALEM
SERENISSIMI PRINCIPIS
SIGISMVNDI CASIMIRI
POTENTISS. ATQ. INVICTISS.
REGIS POLONIAE
FILII
GENETHLIACON
ELEGIA

CAROLI HORNI ROMANI

Habita in Seminario Romano.

ROMAE, Typis Hæredum Franciſci Corbelletti, MDCXL.

Superiorum Permiſſu.

POTENTISS. ET INVICTISS.

VLADISLAO IV.

REGI POLONIAE,

MAGNO DVCI

LITVANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE, MASOVIAE, LIVONIAE, SAMOGITIAE, SEVERIAE, CZERNIHOVIAE, &c.

Nec non

Suecorum, Gothorum, Vandalorumquè Hæreditario Regi, Dom. Clementiſs.

CAROLVS HORNVS ROMANVS VICT.

P*Atieris, Rex Potentiſſime, ab extero vulgarique Poëta paucis interpellari in publico hoc mundi plauſu, in quo poëtico oeſtro deſipiunt etiam Sapientes: Dum enim expetitum diu Regium Infantem mortales omnes effusè gratulantur Tibi, dum votis ardentiſſimis augurantur Illi religionem Aui, Patris inſuper & fortitudinem, ſeu, vt per fabularum ambages loquar, fortunam, virtutemque Alcidis (quem Binoctem ideò dixerunt, quòd in eo efformando, ſicut in Tuo, Natura ſolito diutius*

labo-

laborauerit) excidit mihi Genethliacon hoc, quod vſui eſſe poterit Heroico Infanti pro crepundijs puerilibus; vt quoniam certis creſcit auſpicijs, diſcat balbutienti lingua nunc eloqui, quæ forti deinde dextera præſtabit. Tu interim, dum pergis Patris appellationem amplificare, non minus quam ingentibus victorijs amplificaueris huc vſque nomen Regis, Viue, ac Triumpha.

GE-

GENETHLIACON.

MAgnanimùm nutrix fœcunda Polonia Regum ,
Et bellatorum gloria prima Ducum ,
Pone triumphales ęterno marmore moles
Quas magno inuideat Roma gemella polo :
Vt debellatas annis voluentibus vrbes ,
Atque tuo, incidas, regna ſubacta pedi .
Ecce ſalutauit primis vagitibus auras ,
Cui dabis inuicta ſceptra regenda manu ;
Spōte pharetratas cui ſubdet Moſchua turmas
Quem dominum agnoſcet Suetia lęta ſuū .
Qui Byzantinę contundet cornua Lunæ,
Et duro eripiet oppida preſſa iugo .

Sancta Palęſtini reſerabit limina Buſti,
Cōdidit exanimis quo ſua membra Deus.
Sarmaticos ſtatuet trans vltima littora faſces,
Atque tuas cœli margine claudet opes,
Quà matutino trabeatus Lucifer oſtro
Increpat ambiguo ſidera tarda polo.
Gignit anhelantes quà torrida gleba ceraſtas
Gleba Meduſęo ſanguine facta parens.
Quà gelidus nulla temeratus labe veneni
Anguis Hyperboreis excubat altus aquis.
Quà Phaëtonthęo rubicunda cubilia Patri
Explicat vndoſo Doris amara ſinu.
Fortunate Puer, varijs cui plauſibus Orbis
Aeſtuat, & ſuperę Curia magna plagę.
Infantis carmen non dedignabere Muſę,
Quę celebrat cunas officioſa Tuas.
Dum Tu regali vagis reuolutus in oſtro,
Det mea vaticinos blæſa Camœna ſonos:
Naſcetur multo correptus Apolline Vates,
Qui canet æternis grandia facta modis.
Editus æthereis Infans ter maximus oris
Primęuum roſeo duxerat ore diem.
Regia cum vario feruentia limina plauſu
Aeriſono intrauit bellica Virgo pede.
Aurea

Aurea collectos vmbrabat caſſida crines,
Innupta cuius Daphnide vernat apex.
Magnanimũ ſquamis veſtitur pectus ahenis,
Quas mira ignipotens cuderat arte faber.
Dextra coruſcabat metuendę cuſpidis haſtã,
Atque comes lateri fulgidus enſis erat.
Obducunt medium clypei ſeptemplicis orbẽ
Cincta colubriferis Phorcidos ora comis.
Formoſæ Puerum recubãtem pectore Matris
Excepit cupido protinus illa ſinu.
Plurima dein tenero diſpenſans oſcula vultu
Explicuit tali præſcia labra ſono.
Heroum germen, magni Patris incrementũ,
Speſq; Iagelloniæ magne Puelle Domus,
Hauſiſti puras Cęli feliciter auras
Præportãs populis omina fauſta Tuis.
Quanta ſerenati maieſtas regia vultus!
Quanta verecundo ridet in ore Charis!
Purpureis cedunt formoſa roſaria malis,
Queis cõſanguineus veris Hymettus olet.
Hæc ſeptemgeminum iaculãtur lumina Solẽ,
Lumina diuinis plena cupidinibus.
Concolor eſt crinis Phœbæi verticis auro;
Sunt matutinæ proxima colla niui.

Ecce

Ecce tibi totus ſtudijs concordibus Aether
Feſtinat nulla munera viſa die .
Delius eraſit pretioſæ frontis amictum ,
Formet vt artifici texta ſuperba manu .
Interfuſa micet rutilanti vt faſcia limbo ,
Aſtra coruſcantes ſubſecuere comas .
Vt ſua regales fabricentur munera cunę ;
Prębuit argentum Cynthia lęta ſuum .
Qualia bis gemino decurrunt gaudia mundo!
Quę recinet famulis nuncia Fama tubis .

Romæ templum D. Stanis. Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. Abbas Vrſus Reſid. Polon.

Sancta coloratis floreſcunt limina ſertis ,
Sparſaq; multiplici fronde vireſcit humus .
Exornant muros varijs aulęa figuris ,
Atque Semiramia vela notata nuru .

Celebrante Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. Georgio Epiſc. Samogitiæ, coram Emienntiſs. Cardinalib. Perorante Illuſtriſs. & Excellentiſs. Caſimiro Duce Czartoriſki.

Feſta cateruatim cingunt altaria turmę ,
Et ſuperis fundunt ignea vota Choris .
Vt fortunato Tibi currant ſecula paſſu ,
Semper & exacto pulchrior annus eat .
Applaudunt ſacro velati murice Patres ,
Dum cunas memorant ora diſerta Tuas .

In ædibus Eminẽt. Card. Sãcta Crucij.

Percurrens agili feſtiua Comœdia ſocco
Pulpita dat plauſus, Vrbe fauente, ſuos .

Illuſtriſ. & Reuerẽdiſs. Abbas Vrſus Reſid. Polon.

Ocyus excuſſi per inania fulminis alis
Debita magnanimus pręmia poſcit equus .

Lęta

Lęta frequentantur plenis conuiuia menſis,
Atque hilarãt inopes munera larga domos.

Neapoli Illuſtriſs. D. Internũcius Poloniæ.

Fons labyrinthæos imitatur prodigus orbes,
Vinaque pro gelidis eiaculatur aquis.
Nocturno volitant crepitantia fulgura Cœlo,

Romæ ante ædes Illuſtriſs. & Reuerendiſſ. D. Abbatis Viſi Reſid. Pol.

Et ſignant varias irrequieta vias.

Romæ, & alibi.

Collucent tremulis crinita palatia flammis
Et reboant magno fœta metalla ſono.

Auctoris quoque domus.

Deuorat emeritas Lenæi nectaris vrnas
Ignis, & extinctum reddit in orbe diem.
Alterno reſonant gaudentia tympana pulſu,

Illuſtriſ. & Reuerendiſs. Georgius Epiſcopus Samogitiæ.

Flexaque multijugis cornua mixta tubis.
Plurima flammiuomos eructat in aëra fœtus
Machina, & innumera territat aſtra face.

Idem, & alij. Romæ Perillustris D. Petrus Ciſuuizhij, & alij.

Dum contemplantis tempeſtas aurea turmæ
Implet, Auaritia collacrymante, manus.

Neapoli Illuſtriſs. D Internuncius Polon.

Candida Sarmaticis remeabunt tẽpora regnis
Quæ fuerant olim, dum puer orbis erat!
Moerebit nũquã tenebris dãnatus Olympus,
Aut ſtagnaturas præcipitabit aquas.
Non conſpirantes in bella reciproca venti
Terribiles fundent ore minante ſonos.
Nec feriet multi querceta capacia ſecli
Fulmen, & aſtrigeris proxima tecta plagis.

Peruia

Peruia nõ grauidis cõcreſcẽt æquora plauſtris,
Obruta vel niuibus emorietur humus.
Aëria tantùm Zephyrus regnabit in aula,
Humectans tacito nectaris imbre ſolum:
Semper inoffenſo diffundet lumine Cœlum
Cynthius, & vernas coget habere vices.
Olenium felix verſabit Copia cornu,
Lætus vt omnigena prole redundet ager,
Ridebit tellus gemmantibus vndique plantis,
Nullius agricolæ ſollicitata manu.
Omnis odoratis adoleſcet floribus arbor,
Atque geret pomis brachia curua ſuis.
Non decepturis Aeſtas flaueſcet ariſtis,
Horreaque aggeſto pondere feſſa gement.
Fœta coronatis ibit Vindemia labris
Non Surrentinis inuidioſa cadis.
Pinguia roborei ſudabunt balſama rami,
Et dabit Hyblæas prodiga quercus opes.
Exercens varias pubes alata choreas
Non intermiſſum gutture carmen aget.
Nulla venenatos ſpirabit vipera ſuccos,
Exuet & mores bellua cruda ſuos.
Errabunda pios noſcent armenta leones;
Dormiet imbelles & lupus inter oues.

Ambro-

Ambroſios voluent torrentia flumina riuos,
Siue incorrupto turgida lacte fluent.
Viſtula gemmifero decurret in æquora fluctu,
Lycus & auratis turbidus ibit aquis.
Non tamen ignauum duces inglorius æuum,
Cum patrio exundent commoda tāta ſolo.
Donec erit magnis ętas obnoxia factis,
Venerit & tacito firma iuuenta pede:
Magnanimi diſces pręcepta domeſtica Martis
Exercens vario membra tenella modo.
Ludus erit, certo torquere Cydonia neruo
Fruſtrari dominam neſcia tela manum;
Bellica vel tereti vibrare tonitrua ferro,
Atque crematuras tecta inimica faces;
Scādere inacceſſi prępupta cacumina montis,
Et curſu rapidos anteuolare notos.
Seu grauidis viuos efflantis naribus ignes
Cornipedis facili frœna rotare manu.
Sæpe tegens roſeam radianti caſſide frontem
Ludicra pacato pręlia Marte geres.
Non minus & placidæ ſectatus Palladis artes
Gaudebis doctis inuigilare notis.
Subdet adoratas olim Tibi Mantua lauros,
Atque iterū vinci Smyrna ſuperba gemet

Ipſa

Ipſa Palatinæ muteſcet copia linguæ,
Dum fundes nullo verba reuincta pede.
Ardua clamoſi penetrans in ſepta Lycæi
Naturæ reteges abdita cuncta ſinu.
Metitus radio ſtellantia regna magiſtro
Aethereas agili mente ſubibis opes.
Euolues magno deſcriptas Cæſare leges,
Et Vaticani ſcita verenda Patris.
Quarta renaſcentẽ cũ reddet Olympias annũ,
Pinxerit & niueas nobilis vmbra genas:
Fortia pugnaces cogens ad ſigna cohortes
Finitimos ſternes iuſta per arma Duces.
Iuſſa recognoſces famuli ſtipendia Moſchi,
Atque ſagittiferis munera miſſa Getis.
Bellatrix veteres attollet Suetia faſces,
Eximet & rigido regia colla iugo.
Indomitus famulas Tibi pãdet Vãdalus arces,
Et dominum cingent Gottica ſerta caput.
Dãnabit ſtrictos nequicquam Tartarus enſes,
Telaque vipereo ter medicata lacu.
Emẽſus magnum numeroſis puppibus æquor
Sacra Palæſtinæ bella mouebis humo.
Cedet Idumæis Othomana potentia campis;
Atque Atauũm reddet oppida capta dolis.

Im-

Immenſos texent inhumata cadauera tractus
Eſca voraturis dilaceranda feris;
Et Peluſiacus ſepteno gurgite Nilus
Euoluet domino rubra tributa mari.
Omnia ſacrilego delubra gementia ritu
Antiquum admittent exhilarata decus.
Inde coronatis, lauro viridante, quadrigis
Tranſmittes gemino conſcia regna polo.
Non vaſto horrebis portenta vagantia ponto,
Non formidandis æquora cæca vadis;
Non defrenato currentia flumina paſſu,
Non intentatæ mille pericla viæ.
Non pauidas celso mordentia vertice nubes
Culmina mortali vix adeunda pede:
Seu glacialis hyems inimico frigore cautes
Rumpat, & egelido vellere canat humus:
Siue Cleonęi rabies ſtellata Leonis
Aſperet in calidas turgida colla faces;
Seu grauidā pluuia reſupinet Aquarius vrnā,
Et ferus immiti ſibilet ore Notus.
Parca recidendum tunc ſtringet forfice crinē;
Secula cum Pylij vixeris vſque ſenis.
Tu verò ante alias fortunatiſſima Matres
Cœcilia, Auſtriacū magna Propago Ducū,

Quam

Quam coniurato venerantur ſidera cœtu,
Pronaque ſuppoſito poplite terra colit:
Innumeras cuius diues facundia laudes
Proferet, & magnos enumerabit Auos
Quà premit ingentē lapidoſo pōdere Romā
Et lambit ſedes Gregoriana polum.
Exere vitali turgentes rore papillas,
Et Pueri niueus ſtillet in ora liquor.
Candida marmoreo ſubſternes brachia collo,
Et figes roſeis oſcula mille genis.
Non Tua poſt tantū ſterileſcent viſcera partū,
Sed fœtu eximio florida ſemper erunt.
Ille Quirinali præcinget murice crines,
Huic redimet flauas Inſula ſacra comas.
Hic Tunetani formoſus puluerē Martis
Suſpendet celſis parta trophęa tholis.
Ille Rhodon dura lacrymantē cōpede ſoluet,
Et merget vaſto barbara ligna freto.
Lætaq; fœmineæ ſtipaberis agmine pubis,
Cui meritum aſſignant fata ſecunda thorū.
Illa Madritanam incedet Regina per aulam.
Hanc dominā famulo Sequana fonte canet,
Tollet honoratas Illis Germania tædas,
Has regnatrices Itala regna colent.

In Colleg. Romano perorante Aug. Franciotto Sem. Rom. Conu. Corā Emin. Cardinali de Torres & duobus Hiſpaniæ Legatis.

Talia